

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7594

**Auteur(s) :** Henri Ier Beauclerc, Angleterre (roi)

**Bénéficiaire(s) :** Sées (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1131

**Lieu d'émission :** Dieppe

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Confirmation faite par Henri [Ier], roi d'Angleterre, de l'établissement des chanoines Augustiniens dans la cathédrale Sées, donation d'une terre sise à Brighthampton et confirmation des terres et églises en Normandie et d'un revenu de 12 livres fixé de la redevance du roi d'Argentan et des tonlieux d'Exmes et Falaise.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Haskins Charles Homer, *Norman Institutions*, Cambridge, Harvard University Press, 1918, Appendix F, n° 11, p. 300-302.

## Dissertation critique

Ch. H. Haskins propose la datation de l'« été 1131 ».

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue trinitatis patris et filii et spiritus sancti amen. Henricus rex Anglorum et dux Normannorum archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, et omnibus fidelibus suis tocius Anglie et Normannie salutem. Quoniam regie sublimitatis insignia gerimus et iura Christiane religionis et solitudinem ecclesiastice defensionis administramus, oportet nos interim omnibus sancte ecclesie filiis benefacere precipueque pauperibus et in Christo religiose viventibus misericorditer subvenire, et quorum preces et vite sinceritas terram elevat celum inclinat unaque iungit superius, eorum quieti atque necessitatibus clementer intendamus ut omnipotentis Dei servicio valeant vacare liberius. Quapropter Sagiensem ecclesiam temporalibus et spiritualibus bonis admodum desolatam ad normam rectoris vite studuimus erigere et ad lucem vere religionis excitare, et quoniam reverende memorie papa Honorius per apostolicas litteras in remissionem peccatorum meorum mihi iniunxerat ut ad regulares canonicos in ecclesia Sagiensi introducendos intenderem et eos de meis facultatibus misericorditer sustentarem ; idcirco fratribus regularibus in ipsa Sagiensi ecclesia Dei gratia iam introductis et sub regula Beati Augustini omnipotenti Deo servire studentibus et professis, ipsis inquam eorumque successoribus concedimus atque confirmamus in predicta Sagiensi ecclesia pontificalis sedis potestatem libere et canonice Domino servienti atque ut post decessionem aliorum canonicorum in communes usus regularium statim transeant beneficia prebendarum, ita quod ipsis viventibus constituti redditus eorum nullatenus minuantur. Ipsis etiam fratribus regularibus damus et confirmamus in regno nostro in Anglia decem libratas terre in manerio nostro de Bentona, videlicet Bristelmetonam que est membrum ipsius manerii, et volo et regia auctoritate confirmo

ut bene et honorifice et in pace et libere et quiete teneant semper et in perpetuum de hidagiis et geldis et dangeldis et auxiliis et operacionibus, cum socha et sacha et tholl et theam et infangenteof et omnibus consuetudinibus et libertatibus et placitis et querelis et omnibus rebus cum quibus ego tenebam dum esset in meo dominio, et homines eorum placitent in hallmoto suo de Bristelmetona in submonicione eorundem canonicorum vel ministrorum suorum.

Ipsis quoque fratribus regularibus damus et confirmamus quindecim libras Rothomagensis monete quas dedi in dedicacione ipsius ecclesie in unoquoque anno habendas, scilicet septem libras et decem solidos in teloneo meo de Falesia et septem libras et decem solidos in teloneo meo de Oximis. Concedimus etiam atque confirmamus predictis fratribus regularibus donationem eis factam ecclesiarum de Bellimensi pago cum omnibus rebus ad eas pertinentibus, scilicet ecclesiam Sancti Iohannis de Foresta et ecclesiam Sancti Quintini.

Ad dominium autem et proprium usum Sagiensis episcopi damus et confirmamus totum feodum Alodii quem tenuit Guillelmus Ghot, hoc est quicquid ipse habuit inter Sartam et Tancham tam in terris quam in pratis et aquis et molendinis et silvis et hominibus et teloneis et consuetudinibus et omnibus omnino rebus, sicut idem Guillelmus quietius et liberius tenuit tempore patris mei ; quem feodum ego emi de nostra propria pecunia de Avelina nepte ipsius Guillelmi et Ricardo de Luceio filio ipsius Aveline et de iustis heredibus predicti Alodii, et ipsi, Avelina scilicet et Ricardus, et iusti heredes eiusdem feodi eum in manu Roberti filii nostri comitis Glocestrie videntibus multis reddiderunt et postea coram me vendicionem istam cognoverunt et confirmaverunt et eam quietam de se et suis heredibus concesserunt. Et ego predictum feodum Alodii ita liberum et quietum ab eis et omnibus heredibus concedo et confirmo sanctis martyribus Gervasio et Protasio in dominium et proprios usus episcopi.

Quecumque etiam preter supradicta ecclesia Sagiensis hodie possidet tam ad proprium usum episcopi quam ad usum canonicorum, hoc est ad usum episcopi dimidietatem burgi Sagii cum terra et pratis que in dominio habet episcopus circa civitatem et dimidietatem telonei ipsius civitatis et villam Floreii cum omnibus suis appenditiis, preterea in Bellimensi pago villam Sancti Frogentii, que omnia antiquitus tenuit episcopus Sagiensis ; ad usum vero canonicorum Bodevillam, [ecclesias de Condeto et de Estretz,] et decimam telonei Sagii, scilicet illius partis que est episcopi, et partem mei que dicitur Croleium, et terram que est apud Lurieium, que omnia tempore patris nostri canonici eiusdem ecclesie tenuerunt ; preterea duodecim libras in firma nostra de Argentomo et viginti et unum solidos in teloneo eiusdem ville et sexaginta solidos et decem denarios de teloneo meo de Oximis, que dederunt pater meus et mater mea ecclesie Sagiensi ad victum canonicorum duorum, quod antiquitus in elemosinam statutum fuerat.

Hec, inquam, que supradicta sunt et quecumque in futurum nostra vel successorum meorum concessione iuste poterunt acquirere ipsis, scilicet episcopo et canonicis, concedimus et confirmamus. Preterea consuetudines et quietudines quas a tempore patris mei habuerunt tam episcopus quam canonici in terra et in forestis Guillelmi de Belismo ipsis, episcopo scilicet et fratribus regularibus, concedimus atque confirmamus. Quecumque ergo persona contra huius nostre donacionis et constitucionis decretum venire tentaverit, secundo tercioque commonita, nisi digne satisfecerit, regie maiestatis rea nostre vindicte subiacebit.

Et ut hec nostra donatio et constitutio certior habeatur et firmior, propria manu nostra atque sigillo nostro muniri fecimus. Facta est autem atque confirmata hec pagina apud Diepam anno ab incarnatione dominica millesimo centesimo trigesimo primo, me Henrico in Anglia regnante et Normannorum ducatum tenente, Innocentio papa secundo Ausonie cathedre presidente. S. Hugonis archiepiscopi, Audini episcopi Ebroicensis, Ioannis episcopi Lexoviensis, Roberti de Haia dapiferi, Unfredi de Bohun dapiferi, Rabelli camerarii, Guillelmi filii Odonis conestabularii, Guillelmi Maledocti camerarii.